Quelle: http://manuscripta.at/?ID=917
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

nostra aut gaudium aut corona glorie. Nonne vos ante dominum ihesum xpistum estis in adventu eius. Vos enim estis gloria nostra et gaudium. In xpisto ihesu domino nostro.

Secundum matheum.

In illo tempore. Vespere autem facto: Accesserunt ad ihesum discipuli eius dicentes. Desertus est locus: et iam hora preteriit. Dimitte turbas ut euntes in castella emant sibi escas. Ihesus autem dixit eis. Non habent necesse ire: date illis vos manducare. Respondunt ei. Non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces. Qui ait illis. Afferte michi illos huc. Et cum iussisset turbam discumbere super fenum: acceptis quinque panibus et duobus piscibus: aspiciens in celum benedixit ac fregit et dedit discipulis suis panes. discipuli autem turbis. et manducaverunt omnes: et saturati sunt. Et tulerunt reliquias: duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quasi quinque milia virorum. exceptis mulieribus et parvulis.

Dominica in l. Ad Corinthios.

Fratres Si linguis hominum loquar et angelorum caritatem autem non habeam factus sum velut es sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam et noverim mysteria omnia et omnem scientiam et si habuero omnem fidem ita ut montes transferam. caritatem autem non habuero nichil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas et si tradidero corpus meum ita ut ardeam. caritatem autem non habuero ni